



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

6. Dictvm Tertvlliani contra decretum Senatus Romani, ne quis nisi ipso approbante & volente, haberetur Deus. Euse. lib. 2. cap. 2.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)



Iussa fuere sui mentem monstrare parentis,  
 Atq; sua nostrum soluere morte λύτρον,  
 Discipulum, postquam deuicta morte resurgens  
 Aetherias patris scanderit ipse domos,  
 Missurum scribit, Regem qui liberet ipsum  
 A morbo, & tradat dogmata vera Dei.  
 Postquã igitur Christus clarum conscendit Olym-  
 Et sedet ad dextram patris in arce sui: (p̄m,  
 Tathæum misit Thomas hinc regis in aulam,  
 Spargeret vt dicto dogmata sacra loco.  
 Hic etiam Regem sanauit, & edidit ante  
 Conspectum illius plurima signa pius.  
 Plurima cum Christi præconi munera & aurum  
 Rex daret, hunc cupiens promeruisse sibi,  
 Tathæus sancto fertur sic ore locutus:  
 Dogmate pro Christi munera nulla peto.  
 Nomine qui Christi bona nostra reliquimus vt-  
 Sumere quæ nobis nunc aliena licet? (trō,  
 Vox fuit illa Dei venerando digna ministro,  
 Quam populi pastor sæpe reuolue Dei.  
 Ne venêris opes, Christi dum dogmata spargis,  
 Ne stygio fias præda petita lupo.  
 Nam quicunq; Dei, quærit sua commoda, verbo,  
 Cor Sathana, vocem consecrat ille Deo.

6. DICTVM TERTVLLIANI  
 contra decretum Senatus Romani, ne  
 quis nisi ipso approbante & volen-  
 te, haberetur Deus. Euse, lib.

2, cap. 2.

Si



**S**I, nisi homini Deus placuerit, Deus non  
erit, homo iam Deo propitius esse debe-  
bit.

*Romani fuit hoc inter decreta Senatus,  
Esset ut is solus, quem probet ipse Deus.*

*Hoc igitur Latij decretum ritè Senatus*

*Ludens sic doctus Tertullianus ait:*

*Numina sunt inopes Dij, qui sine numine vestro,  
Non poterunt vllum numen habere sui.*

*Numinibus vestris numen vos maius habetis,*

*Iussu sunt vestro numina namq; Dei.*

7. PHILO IVDÆVS AD SOCI-  
OS, qui vnà cum ipso eijciebantur è patria  
à Caio Caligula Cæsare, quòd honore  
eum diuino venerari recusarent,  
accusati ab Appione. Euse.  
lib. 2. cap. 15.

**B**ONO animo nos esse oportet, quibus  
iratus est Caius. Quia necesse est adesse  
diuinum, vbi humanum cessat auxiliū.

*Leto animo simus socij letoq; feramus,*

*Caius hic nobis quæ mala cunq; facit.*

*Caius iratus patria nos exigit vrbe,*

*Est patria, hæc melior, quam dabit ipse Deus.*

*Non igitur tristes animum deponite vestrum,*

*Nunc licet humana destituamur ope.*

*Rebus*